



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Bonaventura Ep. 14. Iulii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

14. Iulii. VITÆ SANCTORVM. 347
metuis aliquid præter eum, aut non propter eum: sic &
gaudium & tristitia convertantur ad ipsum: hoc fiet, si
non nisi secundū eum doleas, aut lateris. S. Bern. de Jej.

S. BONAVENTURA EP. 14. Iulii.

CONTRÀ quàm hodie fieri amat, BONAVENTV-
RAM mater ultrò Deo & D. Francisco devo-
vit. Apud hunc pietatem doctrinæ ita junxit, ut
dubiam altera alteri palmam faceret. Magnum
testimonium Alexander de Ales est, non peccasse
Adamum in BONAVENTVRA. Ipse D. Thomas
miratus raram in viro doctrinam, bibliothecam
suam ut monstraret, rogavit: ille digitum in Cru-
cifixum intendit. Tantus ad purpuram tamen
plus ipsâ purpurâ erubuit. quin quod aliquoties
indignum se putavit, qui sacro Epulo accumbe-
ret? Sed dignum esse Angeli monstrarunt, cum
felicem sportulam ad os BONAVENTVRÆ ultrò
portarunt. Moriturus cum vomitu laboraret, la-
teri Cibum Divinum iussit admoveri, & ecce in-
de ad ipsum Cor se EYCHARISTIA penetravit.
Quid jam miramur hoc (uti & caput) multis an-
nis a morte integrum ab omni tabe repertum esse?
Porro, dum vixit VIRGINIS unice studiosus fuit.
Itaque auctorem eum Sodalitatum inter Laicos,
quos vocant, faciunt. Certè in D. Lucam ideò li-
bentius lucubrations scripsit, quòd is de VIRGI-
NE plura suggereret. Pulsam quoque æris cam-
pani, quo exciti sub noctem venerabunditer MA-
RIAM salutamus, BONAVENTVRA instituit, rectè,
cum humanas linguas laudibus VIRGINIS suc-
cumbere videret, in auxilium vocans ferrea ora
& ferreas linguas. Ex vitâ & Thom. Bozio.

Non sic timent hostes visibiles castrorum aciem, sicut

æreæ potestates MARIÆ vocabulum, patrociniū & exemplum: pereunt sicut cera à facie ignis, ubicunque inveniunt crebram hujus nominis recordationem, devotam invocationem, sollicitam imitationem. S. Bon. in spec. B. V.

S. TUSCANA VIDUA.

14. Iulii.

Audite qui vestrâ jam expugnatâ, alienam oppugnatum itis pudicitiam; pugnae vestrae aleam ex aliorum fortunâ colligite. In TUSCANAM oculos sed castos conjicite; cui ad miraculum formosæ nihil è toto muliebri mundo ita ut virginitas placuit. Ergo ad nuptias nobiles imprimis adduci non potuit; trahi, cogi debuit. Et jam liberaverat longiore metu mors conjugis pavidam, cum amor infestus aliâ ex parte bellum intulit. Tres, qui sub Venere merebant, juvenes, impetum in ædes castissimæ facere, & diripere pudorem constituunt. Addit animos visa TUSCANÆ forma, imò audaciam pudor proscriptus. Dum precibus illa pugnat, fenestra ordine proditores accipit. Sed ecce ut primùm princeps è hostibus intrat thalamum, cadit humo afflictus à malo dæmone. Eadem secundi, eadem tertii fortuna. Adsunt interea parentes, veniamque atque ad eò vitam victis à victrice TUSCANA exorant. Nam hæc precibus suis lacrimisque omnibus vitam infundit. Ergo à morte tergemini adolescentes surgunt, narrantque cum lacrimis, quibus illic suppliciiis mulctetur Venus. Mox animos expiant, & jam victuri moriuntur. At TUSCANA tot periculis pudorem expositum videns, precibus